



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 5. S. Guilielmus Pinchonius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

Rectores seu Parochi a Patronis præsentati jurabunt, se nihil dedisse vel promississe curam animarum consequendi causa; & postquam Episcopus eam ipsis contulerit, jurabunt iterum se illis gesturos morem, & Ecclesiæ jura defensuros. Patronus, qui præsentaverit illiteratum, in præsens seu illa vice jure suo carebit. Non committetur Ecclesia præterquam loci linguam intelligenti, loquentique: hæc regula pertinet ad Britanniam inferiorem, ubi populus linguam sibi peculiariter etiamnum servat. In Ecclesia Cathedrali deinceps non instituetur Canonicus ad primum sacerdotium vacuum. Clerici dissoluti, maxime qui Goliardi, seu joculatores vocantur, jussu Præsulum prorsus radentur, ita ut Clericalis tonsura non conspiciatur amplius. Cruce signati homicidii vel alius atrocis criminis convicti signo crucis ac suis privilegiis per Judicem Ecclesiasticum exuentur. Plures ibi Canones dantur contra disciplinæ remissionem, cui monachi assuecebant. Vetatur inter alia, ne sint solitarii, hoc est, ne soli vivant in prioratibus, qui conventuales esse desierant.

§. V.

S. Guilielmus Pinchoni.

Provinciam Turonensem tunc illustrabat eximie virtutis Præsul, Guilielmus. *Vita ap. Sur. 29.*
Hist. Eccles. Tom. XX, G liel-Jul.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1231.

c. 3.

c. 15.

c. 16.

c. 7.

c. 21.

c. 22.

c. 24. 25. 26.
 27. 28. 29.

Sæcul. XIII.
A.C. 1231.

Lobin hist.
Ber. to. 2.
p. 359.

lielmus Pinchonus Episcopus Briocensis. Is nobili natus genere jam anno 1223 hanc sedem occupabat. Quamvis venusta oris specie, ac in hominum societate suavissimi sermonis esset, castimoniam tamen singulari semper studio, & virginitatem inter periculosa duo experimenta, quibus expositus erat, coluit. Stipem largissime dabat, & anno quodam, cum difficultas annonæ ingravesceret, omne frumentum suum elargitus, quod Canonicorum erat, mutuum sumpsit, ut inopes ad messis tempus usque reficeret. Præter statas preces canonicas psalterium recitabat quotidie, ac poenis sponte susceptis corpus atterens, cum dignitati suæ convenientem haberet lectum, sæpe humi cubabat.

Durante bello Gallos inter ac Britones, cum Briocum oppugnaretur, Vir Sanctus per vicos urbis circumiens consolabatur incolas, & direptionem averfurus in medios sæpe hostes, ac præfens vitæ periculum se conjiciebat. Interdum urgente Clero fures, aliosque reos, ne timidus ac negligens videretur, a piorum cætu sejungere compulsus se ratus, id summo cum dolore, nec sine multis lachrymis fecit. Nobilium Britannæ virorum contra Ecclesiæ jura & libertatem molitionibus tanta se constantia opposuit, ut e provincia excedere coactus, ad